

Reverendissimus dominus die 2 aprilis discessit cum suis e dicto loco Corbarae et perexit ad locum Sanctae Reparatae, pariter Aleriensis dioecesis, suamque residentiam statuit in conventu Sanctae Mariae Angelorum Minorum Cappuccinorum.

Die 3 dicti mensis aprilis accessit mane hora 12 ad dictam ecclesiam Sanctae Reparatae, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Petro Bonaventura rectore amovibili dictae ecclesiae et a populo. Omnibus de more persolutis [85r] celebravit missam et praemissa mortuorum absolutione visitavit sanctissimum Sacramentum, quod deprehendit bene retentum eoque populum benedixit.

Visitavit deinde baptisterium et vasa sanctorum oleorum, quae cum forent ex plumbo confecta minus decentia qualitate loci visa sunt; unde illustrissimus dominus hortatus est ut argentea fierent. Tum lustravit altaria, quae sunt septem; maius, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum; secundum, sanctissimi Rosarii, in quo erecta est societas (etc.); tertium, Nativitatis beatae Virginis Mariae; et tria dicta manutenentur a populo. Sequentia a particularibus, nempe a parte dextera, sancti Ioannis Baptiste, sepectans ad reverendum sacerdotem Angelum Franciscum Fondacci, et eidem altari adnexum est onus duarum missarum in hebdomada relictum a quondam Bernardino quondam Ioannis Martini, prout ex instrumento rogato a quondam Ioanne Leoni die 10 ianuarii 1653; quintum altare, sancti Michaelis Arcangeli, dotatum a quondam duce Iusto Fondacci in summa librarum [85v] bismille censum, ex quarum fructibus celebrare debeat tot missae, prout ex instrumento rogato a notario Ioanne Francisco Zerbi Ianuense die 25 aprilis 1655; sextum ab altera parte, sanctae Agatae iurispatronatus dominorum Simonis Iosephi et Ursi Iacobi Fabiani; septimum sanctae Catharinae Alexandrinae iurispatronatus Ambrosii et Antonii Antonelli, dotatum ab Ambrosio quondam Deodati cum onere missarum 4 in hebdomada, ut ex instrumento rogato a quondam Antonio Philippo Leoni notario publico die 9 iulii 1679.

De adimplendo dictorum onerum quidquam certi haberi nequit. Interpellati enim cappellani qui eas missas applicare tenentur, statim omnes de more tangentes pectus manu simplici iuramento asseruerunt se integre satisfecisse. Quid inde ad haec (etc.).

Altaria praedicta misere ornata. Lapidès sepulchrorum, quae sunt 17, omnes pene fracti; sed cum distincte habere nequiverimus nomina compatronorum, generice praecipiendum fuit eos restaurari.

Sacra vero suppellectilia satis et munda; et ob id illustrissimus [86r] dominus laudavit pietatem populi. Manutentionem ecclesiae asserunt populi spectare ad patres venerabilis Certosae Pisarum, ad quos iuspatronatus huius parochialis ecclesiae pertinet; id autem falso et perperam asseritur et gratis.

Annui redditus sunt librae 500. De his in quolibet anno rector amovibilis praedictus respondet venerabili Certosae Pisaurensi [*sic = Pisanae*] libras 103 et solidos 8 et unum cadum olei; et propterea demptis aliis expensis, quas dictus amovibilis rector facere tenetur, ad eius favorem et substentationem remanent librae 310 circiter.

Familiae 160. Sacerdotes 32. Animaee 839. Altare privilegiatum altare maius.

Successive visitavit casazza sancto Antonio Patavino dicata, quam optime detentam vidit. Plures in ea sunt reliquiae, et omnes illustrissimus dominus visitavit, et maxime commendando pietatem populi et confratrum ad suam residentiam rediit.

[86v] Post prandium illustrissimus dominus visitavit ecclesiam patrum Cappuccinorum. Tum perexit ad oratorium Sancti Antonii Patavini praedictum et successive descendit ad alium Sancti Rocchi situm in villa Ciglioni illudque visitavit, prout ex decretis. Demum visitavit aliud oratorium Sanctissimae Annunciationis loci Palmenti, pro quo decrevit (etc.) , tum ad suam residentiam rediit; et sero habuit personalem visitationem patrum.

Die 4 celebravit missam in ecclesia dicti conventus et praemisso [sermone] a reverendissimo patre theologo, tum instructivo pro ecclesia, tum exhortativo ad recte vivendum ne iram Dei super se sentiant (etc.), habuit confirmationem, ut in regestro (etc.).

Mox attentis precibus populi dicti loci illustrissimo domino porrectis, quo dignaretur agros et segetes benedicere prorsus fere aridas et exsiccatas, cum in hyeme praeterito his in locis nec ros nec nix ceciderit, idcirco fuit Sanctissimum expositum et cantatae lytaniae Sanctorum. Deinde fuit facta processio venerabilis Sacramenti a Dominatione [87r] Sua illustrissima ac reverendissima per girum plateae, et in ianua ecclesiae benedixit campestriam; et demum servatis servandis ab altare iterum populum benedixit. Ut rediit ad tronum praescripsit ut ieunarent in proxima futura feria sexta vel sabato et sequenti dominica generalem communionem peragerent, quo petitam a Deo gratiam consequerentur, prout factum fuit (etc.).

[...]

Pro ecclesia Sanctae Reparatae parochialis loci eiusdem nominis

Vascula oleorum sanctorum cum sint ex stamno illustrissimus dominus hortatus est ea confici ex argento, attenta huius loci [111r] qualitate.

Intra quatuor menses comparentur novi lapides pro sepulchris dominorum Antonii Padoani Francisci, Antonii Caroli Leoni et Dominici Poli; quo tempore elapso, eo ipso iuspatronatum amittant; et procuratores ecclesiae una cum parocho libere de eisdem sepulchris disponere queant (etc.).

Sedibus confessionalibus apponantur sacrae imagines, tabella casuum reservatorum et bulla *In Coena Domini* intra tres menses, sub poena librarum quinque.

Cum sacra suppellectilia sint satis et bene retenta, illustrissimus ac reverendissimus dominus laudavit pietatem populi et rectoris. Enixe autem hortatus est decentius manuteneri ecclesiam quoad materiale, qua postea populus Sanctae Reparatae laetus in Domino fruetur et non reverendi patres Cartusiani Pisarum.

Pro oratorio Sancti Rocchi villaे Ciglioni

Faenestrae instruantur saltem tela cera linita intra mensem, sub poena librarum decem.

Aptetur intra decem dies planeta variorum colorum, quibus elapsis sit interdicta.

[111v] Fiant intra tres menses nova tobalea et duo pulvinaria, sub poena librarum quinquaginta.

Pro oratorio Sanctissimae Annunciationis loci Palmenti

Faenestrae instruantur intra mensem tela linita cera, sub poena librarum decem.

Missali apponantur missae novorum sanctorum intra quatuor menses, sub poena librarum decem.

Intra tres menses fiant sex purificatores, unum corporale et nova alba, sub poena librarum quinquaginta.

[...]

Die 3 aprilis illustrissimus dominus post prandium e loco supradicto Corbarae **[301r]** perexit ad conventum Mariae Virginis Angelorum ordinis Minorum Cappuccinorum loci Sanctae Reparatae, ad quem perventus omnia de more persolvit, mox visitavit sanctissimum Eucaristiae sacramentum, quod optime retinetur.

Visitavit altaria, quae sunt quatuor ut in inventario, munde et nitide detenta, prout est mos huius ordinis, suppellectilia etiam optime retinentur, quamobrem commendavit diligentiam patrum.

Qui illustrissimus dominus ascivit postea omnes patres et laicos in consueto cubiculo capitulari et praemissa admonitione, consueta forma absolvit a censuris (etc.).

Sequenti die habuit visitationem personalem, prout ex actis. Visitavit officinas, cellas et clausuram, singula optime asservata. Populus huius loci cogere volebat hunc conventum et patres ad instituendam officinam aromatariam, sed illustrissimus dominus constanter se opposuit et patres praescripsit ne omnino auderent id exequi, prout etiam ex decretis generalibus.

